

1.
2.
3.
4.
5.
6.
7.
8.
9.
10.
11.
12.

13.
14.
15.
16.
17.
18.
19.

1. Tanner De polygo felicis herculeo extirpato 1771
2. Thom De atrophia infantium 1709.
3. Thom De dentibus. 1708.
4. Thuringer De fratura tibiae 1758
5. Thierry De partu diff. a mala formatione pelvis 1754
6. Thiélemans De medicamentis mercurialibus 1715
7. Tinchant de album 1715
8. Tinchant De periculo operationis fistulae ani ac acarum
9. Titon De variolosum morbo 1784
10. Toggenburger Casus stuporis praebiei inoculatione curatus 1760
11. Tommam De paracenteri ab omnino 1760
12. Tremel Cirra febrem malignam universalem a cortice Peruviani
in ostentaver illius officiam 1764
13. Trotz De delirio 1780
14. Ulrich De hypercatharsi in cervina galappa felicis aurata 1771
15. Ulrich: De fibre in genere momenta quadam 1721
16. Wittendorffer: De bile 1774.
17. Voelkner De amputationis limitibus 1785
18. Volmar Quæctio an nitum sanguinem retolvat aut coagulet 1741
19. Vollmar De fulmine tactis. 1765



DISSE¹⁸⁹
R T A
T I O
I N A U G U R A L I S
M E D I C O - O B S T E T R I C A L I S
DE
P O L Y P O
F E L I C I T E R E X U T E R O
E X T I R P A T O
QUAM
D E O T R I U N O P R Ä S I D E
C O N S E N S U
G R A T I O S Æ F A C U L T A T I S M E D I C Æ
I N A L M A A R G E N T O R A T E N S I U M U N I V E R S I T A T E
P R O
S U M M I S I N A R T E M E D I C A H O N O R I B U S
E T
P R I V I L E G I I S D O C T O R A L I B U S
R I T E A S S E Q U E N D I S
S O L E N N I T E R E R I T D E F E N S U R U S
J O H A N N E S J A C O B U S T A N N E R
S t . G A L L O - H E L V E T U S .
D I E X I V . F E B R U A R I I M D C C L X X I .
H . L . Q . C .

ARGENTORATI
Typis JOH. HENRICI HEITZII, Universitatis Typographi.

ILLUSTRIS GYMNASII
REPUBLICÆ St. GALLENSIS
DOMINIS PROFESSORIBUS

VIR O
DOCTISSIMO, PLURIMUM REVERENDO
DN. DANIEL WEGELINO
VERBI DIVINI MINISTRO, PROFESSORI S. S. THEOLOGIÆ
PUBL. ORD. ET PASTORI ECCLESIAE GALLICÆ
FIDELISSIMO

UTI ET

VIR O
EXCELENTISSIMO EXPERIENTISSIMO
DN. DAVIDI CHRISTOPH.
SCHOBINGERO
MED. DOCTORI, PROFESSORI PHILOSOPHIÆ PUBL.
SENATUSQUE MAJORIS MEMBRO
DIGNISSIMO

NEC NON

DN. ABRAHAM TANNERO
CHIRURGO EXPERTISSIMO ET DEXTERISSIMO, TRIBUNO
PLEBIS, PATRI QUAM DILECTISSIMO
SPECIMEN HOCCE ACADEMICUM
SACRUM ESSE VOLUIT

TANTORUM NOMINUM

addictissimus Cultor & obsequiosissimus Filius
AUCTOR.





§. I.



Per multis Uterum obnoxium esse morbis, quos tam ex sua natura recipit, quam & per fœtum inclusum produci quotidie videmus, neminem latere valet. Ad quos & statum illum morbosum pertinere, ubi quidam tumores, ex Uteri substantia excrescentes, ejus cavum replent, nemo ne-gabit. Quum autem hæ Excrecentiæ, POLYPOS vocant, gravis momenti largiuntur objectum Medentibus, hinc Speciminiis inauguralis loco eas accuratius rimari constitui, fundatus quadam Observatione, quam cum Epicrisi sum allegaturus. Quas Rimationes B. L. ut tanquam Primitias laborum ex nondum satis exercitato calamo fluentium consideres, benigneque dijudices enixe rogo.

Observatio.

Fœmina quædam viginti & quatuor annos nata fœtum enixa est mortuum octo mensium. Lapso anno obstrunctiones mensium patiebatur; ab eodem tempore continuo sentiebat dolores capitidis, ventriculi, intestinorumque termina. Tribus

A

post annis haemorrhagia subito afficiebatur uterina, qua cefante presso sequebatur pede fluor albus benignus. Per decursum septem annorum talium morborum vexabatur incommodeis, quæ continuo quasi se invicem excipiebant, ita ut hebdomadibus quibusdam intercalaribus vel verus sanguis, vel humores feros ex cavo uterino per genitalia effluxerint. Elapsis fere septem annis animadvertebat ægrotam abdomen aliquatenus tumidum, nec non simul sentiebat gravitatem circa eum, ubi Uterus est locatus, locum, ita ut propemodum se gravidam crediderit. Quum non solum talia crescebant incommoda, sed & periculosa tum temporis oriebatur haemorrhagia, adstantes jubente Domino RENAUDIN, M. D. Consiliario Regio & Inspectore Nosocomiorum & Offic. pharmaceut. Alfatiae &c. cuius auxilio per totum morbi stadium utebatur ægrotam, appellari Dominum WEIGEN, M. D. Cels. Comit. Leining. Dachsburg. Consiliar. aulic. & Artis Obstetricia Magistrum primar. hujus loci, Praeceptorem meum non satis venerandum, curaverunt, ut, quid proprio morbus sit, inquireret. Ille statum orificii digito perscrutans, illud plane inveniebat clausum. Per carnem vero uterinam sentiebat aliquod corpus durum, de cuius natura nihil certi poterat pronuntiare, & ideo rem in medio, donec satis aperto orificio melius corporis heterogenei naturam posset percontari, esse relinquendam, suadebat. Anno elapsi foemina vexabatur ambulans extra Urbem doloribus quasi ad partum, orificio adperiebatur plane, corpus heterogeneum per vaginam ad ejus aperturam usque paululumque extra illam descendebat. Obstetrix adpellata in tali statu foeminam inveniens, dum in parte inferiori aliquam detegebatur Impressionem, verum adesse Uteri Prolapsum sibi adstantibusque persuadebat, hinc Vir obstetricans jam nominatus advocabatur, ut repositionem institueret. Ille perscrutans statim animadvertebat, plane aliud esse vitium ac Uteri Prolapsum, quoniam digitum ne quidem in simulatam rimam adigere potuit, simulque duritiem corporis heterogenei bene

discernere scivit ab illa, quæ Uteri est, nec non digitum circa totam peripheriam mouere, & radicem basi tenuorem dígito attingere potuit; hinc foemina certiorem redditit, illud, quod propendebat, esse de illa tumorum specie, qui Polypi dicuntur, a quo nulla alia ratione nisi extirpatione possit liberari. Ea, cognatis simul annuentibus, ejus curæ se tradebat, hinc extirpationem moliens, eam sequenti absolvit modo: Sumebat, postquam tumorem manus ope, quantum potuit, ad se traxit, filum ceratum aliquomodo tortum, immittebat illud incisuræ inter unguem & carnem Digitii Indicis intercedenti applicatum, ita ut duæ fili portiones propenderent, auxiliante dígito medio in vaginam ad radicem Polypi usque, quæ fundo Uteri nuncce inverso dextrorum accreta erat. Eo perveniens unam portionem fili circa Petiolum volvbat, illamq; dein circumvolutam portionem trahebat ad se ex vagina, ut ex ambabus extra vaginam propendentibus portionibus nodus possit fieri. Nodum dígito indice ad petiolum usque sensim sensimque promovebat, ut ille fatis constringeretur, & ita communicatio inter Uterum & polyposum corpus intercipetur. Eandem encheiresin denuo repeatet, ne hæmorrhagia effet metuenda. Filo fatis constricto scalpellum loco infra ligaturam utramque applicabat, & sensim sensimque absindebat petiolum. Finita operatione ægrotta ad quietem reponebatur. & quum elapsis quinque diebus absque ullis adhibitis injectionibus aliisve medicamentis, filum cum parte per ligaturam nutritione orbata in terram cadebat, Dominus D. WEIGEN orificium tangens illud plane sentiebat constrictum. Foemina vero ab eadem hora ad hodiernum usque tempus sana vivebat, ab antecedentibus incommodis liberata, & experitur nunc singulis mensibus consuetam foeminarum molestiam, sanguineum fluxum. Polypus abscessus bilanci impositus pondere fere æquabat duas libras, quod pondus omnino ex Figura in fine Dissertationis adjecta æstumari licet. Ejus substantiam, quem nunc sicuti innumera alia pretiosa tam naturalia, quam

arte facta Præparata affervat hujus Loci anatomicum Cimæ-
liarchæum, cum ex priva Benevolentia, qua me semper di-
gnatus est Excell. atque Experientiss. Dominus LOBSTEIN,
M. D. Anat. & Chir. Prof. P. O. Fautor atque Præceptor in
æternum venerandus, in eam inquirendi obtinui licentiam;
inveni ex compacto - fungosam, coloris ex albido rubri, ne
minima quidem cavitate intus præditam, extusque fatis densa
obvolutam membrana.

§. II.

Enarrata nuncce Observatione Instituti ratio videtur postu-
lare, ut quid sub Polypo intelligam? præcipiam. Quum au-
tem circa denominationis rationem Auctores varias in fente-
tias abierint, non possum non, quin, antequam ad definitio-
nem struendam me accingam, & de hac re sermonem inji-
ciam. Hæc vox derivatur a vocabulis græcis Πολὺς, quod
multus significat, & Πές, *Pes*. Cur autem hisce excrescentiis
hoc nomen fuerit impositum, plane alia subest ratio. Teste
experientia novimus similitudinem, res quasdam interceden-
tem sœpe sœpius denominationem ab hac illave re mutuandi
& in aliam transferendi præbere occasionem. Circa nostrum
objectum & id valere patebit. A Græcis enim ita sunt deno-
minate quedam animalium marinorum species, quæ multis
pedibus sunt ornatæ, & ideo jure hanc merentur denomina-
tionem. Nunc dum veteres Chirurgiæ Cultores illos Polypos
marinos multis videbant instructos pedibus, dumque simul ta-
les eorum oculis sese repræsentabant excrescentiæ præcipue na-
res faucesque occupantes, quæ minus sollicito Observatori
multis videbantur adhærere locis, hinc statim felix ingenium
analogiam ratione pedum has inter substantias detexisse sibi per-
suadebat, & decidebat quasi ex tripode nomen horum anima-
lium imponendum esse hisce excrescentiis. Quæ postquam ta-
li fuerunt insignitæ Nomine Cel. inter alias RUY SCHIO pla-

enit similes alios infestantes tumores ita denominare, hinc & nostros, circa quos versamur, Uteri fungos a). Hæc cum adhuc obscura videntur, hinc quid ad ea magis dilucidanda debiles meæ vires valeant, tentare volui, indicans, quid hæc excrecentiae sint? Cur recentiores Auctores eas variis locis fæse infigere non amplius credant? quid Veteres in talen errorem induxerit? Id quidem melius fieri nequit, quam comparando proprietates illorum animalium cum illis, quæ hisce fungis convenient, tam ratione figuræ, quam soliditas mollitive, nec non involuci. Quod attinet ad figuram eam quandoque, fateor, omnino ita esse comparatam, ut multos ramos adesse pedes referentes multis videri possit. Sed quid sunt hi rami? Ante Cl. LEVRET b) omnes in eo converunt, quod hi rami tot sint radices, quas Polypus fixerit in Membranam Schneiderianam &c. Ille autem primus nubi hujus sententiae Patronorum se opposuit, evidenter demonstrans, illos ramos omnes ex una radice parti corporis affixa oriri, sive omnes in communem petiolum confluere, ideoque jure illos *Appendices* appellavit, evidenti testimonio bases horum tumorum quidem a se invicem distinctas esse, sed haud minus ab uno eodemque trunco obtinere nutritionem. In cuius sententiam & Cel. PALLUCCI c) iniisse reperi. Duplicem hujus denominationis rationem allegat FABRICIUS AB AQUAPENDENTE d): "Polypus est tumor præter naturam in naribus internis obortus ex marini Polypodis similitudine nomen fortius, tum quod illius carnem repræsentet, tum quod suo complexu, qui ipsum capiunt, ulciscatur, ita vitium hoc nares comprehendens ipsas obstruit &c." Sed licet Cel. LEVRET e)

A 3

a) Observat anat. chir. Obf. VI. p. 9.

b) vid. Observat sur la Cure radicale des plusieurs Polyptes de la Matrice &c. p. 3. & lqq.

c) In Libro, cui titulus est: Ratio facilis atque tuta Narium curandi Polyporum, pag. 11.

d) Operat. Chirurg. Part. I. pag. 181. e) l.c. pag. 4. & 8.

minime concedat, quin potius refutet, analogiam a pedibus esse derivandam, tamen totus in eo fuit, ut demonstret, corpus marinorum Polyporum convenire cum harum excrescentiarum parte crassiori, quam corpus appellant, inveniantur in Utero, sive in naribus, quarum priores ut plurimum figuram rotundam, posteriores vero oblongam, pyriformem æmulantes, cum hac illave Polyporum diversa figura ludentium specie sunt comparandæ. Præter hasce enumeratas proprietates aliae adhuc observantur, mollitatem volo, colorem & involucrum. Nam corpus horum animalium molliusculum, eorum color pallidus, gelatinaque superficiem corporis totam obliniens quam optime ad nostros fungos posse applicari statuit Cel. LEVRET f). In alio quodam analogiam se reperiisse credit Cel. PALLUCCI g), quia scilicet Polypus, sicuti animalia scissa membra reproducere possunt, & de novo quandoque germinat. Quamvis id verum sit, tamen nequaquam Veteres hac ex ratione tale nomen præ aliis selegisse mihi imaginari possum, quippe cum tum temporis nec Sumimus Medicorum talem admirandam proprietatem horum animalium cognovisse se gloriari potuit, ante aliquot annos demum per pulcherrima pericula Italorum & Anglorum demum dilucidatam & divulgatam. Quum nunc in eo cardo meæ Tractationis non versetur, mihiique fere unum idemque sit, an nomen Polyporum hisce excrescentiis jure conveniat, nec ne, hinc in sententiam Cl. LEVRET, donec vel propria olim experientia, vel & aliorum melius quid edocear, minime transire dubito.

§. III.

Sub Uteri Polypo intelligo omnem illius organi excrescentiam carnoſo-fungosam, magis minusve folidescentem, extus aliquæ sive & nullo membranaceo obvolutam involucro, intus vel aliquo cavo præditam, vel nullo, & petiolo ab Ute-

f) ibidem. g) l. c. p. 11.

ri substantia propendente. Ex definitione cum nunc pateat, Polyporum naturam diversam esse tam ratione consilentiæ, quam involuci externi aliarumque circumstantiarum, hinc minime mirum videbitur, Auctores de illis variis sub nominibus locutos fuisse. Percurramus ideo omnia Synonyma, quæ hinc inde in Auctöribus leguntur. Quum ejus substantia ut plurimum fungofa animadvertisit, ideo CELSUS *b)* de eo simpliciter sub nomine **FUNGI** locutus est, quem & sequebatur TULPIUS *i)*, Amstelodamensis olim *Exconsul.* AETIO *k)* placuit nostrum Tumorem vocare **THN KEPKΩΣHN**, quam denominationem & retinuit DIONIS *l)*; apud FABR. AB AQUAPENDENTE sub termino **EXCRESCENTIÆ CARNOSÆ** de eo legi potest *m)*. Analogiam habere cum aliqua cauda credidit M. AURELIUS SEVERINUS *n)*, ideo **CAUDAM VAGINÆ** illum adpellavit. Cum STALPART VAN DER WIEL *o)* & SOLLINGENIO *p)* contigit aliquem videre Polypum, qui formam fucus præ se tulit, simulque cancrofæ fuit indolis, hinc de **FIGU CANCROSO** mentionem faciunt. Cl. PUZOS *q)* voce **CHAMPIGNON** utebatur, quia illum cum aliqua Fungi specie hujus nominis comparans similitudinem animadvertisse putabat. Apud VOLTERUM *r)* sub termino **SARCOMATIS** de illo præcipitur. Tandem surrexit Cel. RUYSCHIUS *s)*, qui voce **POLYPI** usus fuit, & nuncce plurimos inter recentiores Chirurgos imitatores agnoscere valet.

§. IV.

Non inutile fore laborem, dum de varia Polyporum divisione sermonem injiciam, spero. Differunt ratione ma-

b) de Medicina Lib. 6. Cap. 18. No. 11. *i)* Observ. med. Lib. 3. Cap. 33. *k)* Tetrabibl. medic. Libr. 4. Serm. 4. Cap. 104 p. 92². *l)* Traité des Oper. de Chirurg. Dem. 3. p. 282. *m)* Operat. chir. Part. 1. p. 94. *n)* de offici Medicina Cap. 94. *o)* Observ. rar. 87. *p)* in sua Chirurg. Edit. germ. p. 720. *q)* Tr. des Accouchem. p. 267. *r)* Gebammen Schul p. 48. *s)* Observ. Anat. chir. Obs. VI. p. 9.

gnitudinis, ratione majoris vel minoris soliditatis, naturæ, structuræ internæ externæque, & tandem respectu loci, in quem suas fixerunt radices. Quoad magnitudinem eos disceernere possumus in PARVOS sive crescere incipientes & MAGNOS, qui plus minusve temporis jamjam extiterunt & creverunt. Prioris speciei in cadaveribus quosdam detexit exiguae magnitudinis Ill. MORGAGNI t), inter quos & unus formam Pyri præ se tulit. Et hicce locorum hacce hyeme occasionem habui in Theatro Anatomico aliquem uterum lustrandi, in quo duæ excrescentiæ albidi coloris, magnitudine thalamum floris Tanaceti referentes videndæ erant, quarum una in fundo, alia in corpore uteri locata erat. Molliorem habebant consistentiam, nec in tota peripheria cum utero cohærebant. Quum hæc vidi suspicio mihi surrexit, fœse forsan ope Petioli altius uteri substantiæ infixisse, nec spes me fecellit, dum enim sollicite separaverim adhæsionis locum; & magis interiora versus scalpellum adegerim, sensim sensimq; diametrum minorem inveni, donec tandem eo usque pervenerim, quo finis pedunculi firmiter infixus erat uteri substantiæ. Posterioris speciei omnes sunt, de quibus Practici loquuntur. Ratione consistentiæ illi solent distingui in POLYPOS FUNGOS & DUROS, qui & SARCOMATA proprie vocantur u). Si naturam sive indolem spectas, animadvertes dari tales, qui præter molestias à mole & pondere derivandas nullas ex sua natura creant; porro qui propter duritiem scirrhosam vel cancrum, detestandam scirrhi sequelam, minitantur, vel revera jam in carcinoma degeneraverunt, sive tandem qui bonæ videntur esse indolis, sed post extirpationem iterum propullant; priores BENIGNOS vocare liceat, alteros MALIGNOS, eosque tertiae speciei singulari nomine VIVACES nominat Cl. LEVRET w). Structura interna

t) de Sedib. & Causis Morborum Epist. 46. No. 24. & Epist. 47. No. 28. & 30. u) vid. HEISTERI Instit. chirurg. Cap. 150. No. 2. w) Mem. de l' Acad. de Chir, Tom. III. p. 588.

interna ad novam divisionem nec minus ansam præbet. Scilicet invenitur intus vel aliquod cavum vel nullum, illos CAVOS hos SOLIDOS voco. Polypi demum cavi subdividuntur respectu materiæ, quam continent. Vel enim includunt plane nihil, & fistunt cavum penitus vacuum α), vel in suo sinu fovent massas carneas, molas referentes sive materiam gelatinosam, atheromatosamve, sive & multis in glomos intricatis filamentis pilis similibus repleti sunt γ). Polypum ejusmodi corpus intus quasi musculosum continentem describit VATER β). Ratione loci, ubi inseruntur nec inutiliter illos dividimus. Cl. LEVRET a) eos dividit in tres classes: in tales, qui fundo uteri adhærent, qui collo & qui margini orificii externi affixi sunt. Sed non video, cur non æque in corpore matricis tales fungi possint propullulare ac in dictis locis, nec nostra Observatio, quam circa Polypos incipientes allegavimus, sententiam hancce minus adprobari sinit. Quibus igitur præmissis evidenter patet, Polypum circa cujus historiam nos versamur ad classem eorum, qui bona indolis, petiolo de fundo uteri suspensi, extus aliqua membrana tecti, nec intus ullo cavo instructi sunt, referri debere.

§. V.

Nunce in eo versemur tramite, necesse est, ut eruamus nostrorum Polyporum causam. Varias circa hanc rem in sententias abierunt Auctores, quum autem omnes allegare tam superfluum foret, quam & limites Dissertationis vetarent, qual-

B

α) vid. Recueil d'Observations, faites par Mr. SAVIARD Obs. 36. Similem quoque affervat Cimeliarcheum proprium Excell. atque Exper. Dn. Prof PFEFFINGERI, Preceptoris summe colendi, quem ante aliquot annos ex Utero quodam excidit.

β) LEVRET Mem. de l'Acad. de Chirurg. pag. 525. & sqq.

γ) in Museo anatomico proprio p. 136

a) Obs. sur la Cure radicale des plusieurs Polypes &c. p. 12.

dam præcipias recensuisse sufficiat. Polypum efformari, quando folliculus glandulosus obstruktione laborat, ita ut per hanc obstruktionem tam ductus excretorius, quam vena sanguinem ad secretionem muci inutilem revehens comprimatur, & quasi obliterentur, unde fieri debet, quod sanguis arteriosus valde in arteriolas agat, eas cumque illis folliculi parietes sensim sensimque distendat & volumen adaugeat credit Clar. SMELLIE b) & Cel. PORTAL c). Hæc explicatio valere posset, si solummodo Polypi ex collo Uteri & orificio propullentes nostræ forent considerationis, sed dicant hi Cl. Viri, quomodo in cavo uterino id evenire posset, ubi nullos sinus mucosos per repetita experimenta detexit Ill. HALLERUS d). Plane aliam circa ortum Polyporum sibi efformavit ideam Cl. PUZOS e). Illi videtur verosimillimum, illos oriri, dum vasa uterina præcipue lymphatica varicosa redduntur, hinc per continuum adfluxum superfuumque lymphæ vitiatae excoriantur, in suppurationem abeunt, talesque fungos protrudunt. Cel. LEVRET f) rationem querit in cuiusdam & quidem exiguae uterinæ partis obstruktione, quod punctum obstructum dein sensim sensimque majus volumen adquirit & in ea ratione, in qua ejus volumen adaugetur, tunicam Uteri internam superficiem obducentem elevat, & denum sufficiens pondus adquisitum sua gravitate deorsum in longitudinem trahit. Nonne ultimæ sententiæ favet structura utriusque in quodam Utero reperti Polypi, quæ omnino a substantia uterina sola compactione differt, hinc & colore magis albido? Nonne possunt fluida nimis viscida evadere, quæ per hanc rationem vascula minima non permeare valent, quin ea obstruant? Annon simul variis ex causis Solida justo laxiori possunt laborare cohaerentia? ita ut nimis sint debilitata & relaxata, hinc & impe-

- b) *Traité de la Théorie & Pratique des Accouchemens, traduit de l'Anglois p. 129.* c) *Precis de Chirurgie pratique Tom. II. pag. 217.* d) *Prim. Lin. Physiolog. §. 843.* e) *Traité des Accouchem. p. 262.* f) *Mém. de l'Asad, de Chir. Tom. III. p. 590.*

cui humorum affluentium facilissimo negotio cedant, seseque
justo plus distendi patientur? Sententiam vero Cl. PUZOS &
pondus habere nec invitus confiteri cogor. Quoties post ex-
clusiones foetuum eosdem progerminare videmus g)? ubi per
separationem placenta, quam subtilissimis vasculis cum Uteri
substantia cohærente industria Cel. HUNTERI h) optime dete-
xit, membrana decidua (ita enim vocat tunicam secundinarum
extimam Cel. Vir, quam pro lamina membranæ uterinæ affu-
mit), cumque illa reliqua Uteri tunica vel vi ab obstetricie in
aliqua parte avellitur, vel proprio Marte quasi exfoliatur, un-
de spatium relinquitur, per quod vasa uterina excrescere val-
ent. In hoc casu enim, et si ante nulla visciditas humorum,
nulla vasorum debilitas præsto fuerint, facile vasa disponun-
tur, ut fluidis cedant & se elongari patientur, quoniam, se-
parata in aliquo Uteri loco membrana interna, resistentia, que
ceu causa auxiliatrix impedit, quo minus vasa sufficienti qui-
dem robore instructa vitali distendantur, sublata, & ita æqui-
librium inter actionem fluidorum in vasa & vasculorum rea-
ctionem in fluida diminutum est. Eodem modo & animad-
vertimus post vulnera carnem fungosam propullulare, quando
per lintea pressio æqualis & sufficiens, quam antea superindu-
cta cutis executa est, non reparatur. In utroque igitur casu
vasa relaxata & elongata Polypum efformare juvant, hac sola
cum differentia, quod in priori casu revera in causa sint, in po-
steriori autem demum disponantur per destructionem membra-
nae Uteri internæ. Sed ratione involucri membranacei, quo-
modo illud efformetur, aliqua interest differentia. In priori
casu vasa obstructa & humorum adfluxui cedentia tunicam in-
ternam elevant, elongant & parant sibi crescendo quasi invo-

B 2

g) *Mem. de l' Acad. de Chir.* Tom. III. p. 534. b) vid EJUS
Diff. de *Nutritione Fetus*. Quum illam obtinere non potui, il-
lius Experimenta allegata inveni in COOPERI Diff. de *Abortionib.*
Lugd. Bat, habita a. 1767. p. 16 — 17.

lucrum. In posteriori autem casu membrana quasi de novo generatur. Novimus, post omne vulnus, quando cicatrix efformatur, partem lesam involucro privatam nunc iterum obtegi a continuata & quasi prolongata epidermide, si verus cutis defectus adfuerit. Porro notum est, Uteri membranam internam esse continuationem euticulae ab exterioribus per vaginam reflexae. Cum nunc dicto modo tegumentum vulneribus superincrescat, cum Uterus quadam ejus involucri membranacei parte destituatur; cum ergo analogia intersit inter vulnus partium aliarum corporis & illum uteri statum, hinc non video, cur non colligere licet, membranam Uteri increscere, quasi prolongari & elongatam super carnem illius loci fungosam extendi, & sic Polypum involucro donare.

§. VI.

Licet nunc generales erutæ fuerint Polyporum causæ, tamen nequam intelligitur, quomodo petiolus efformetur, an ille cum Polypo eandem agnoscat originem? an vero Polypus plane aliud sit naturæ? unde figura pyriformis sive globulosa proveniat? quomodo Polypi cavi, quomodo vivaces progignantur? Hæ ergo quæstiones omnino sunt solvendæ. Primo aspectu nihil facilius videtur, quam Petioli polyposi ortum exponere. Quemlibet illum ex una eademque materia ac Polypi corpus esse conflatum sibi persuasurum esse firmiter credo. Quis unquam credidisset, solum Uteri internum involucrum crassius factum, elongatum &c. in petiolum mutari, uti vult Cl. LEURET i). Ille enim rem sibi repræsentat, quasi illud punctum Uteri inflatum, sensim majus factum, membranam illam tenuem elongaret, & quando ejus moles ita increvit, ut haud exiguum pondus æquaret, separetur a reliqua Uteri substantia, & sic concederet, ut membrana Uteri elongata crassior evadat talemque formam accipiat, qualem petiolo

i) Mem. de l' Acad. de Chir. Tom. III. p. 590. & sqq.

esse novimus. An vero per involucrum tantus vasorum numerus accedat, ut in tale volumen increscere possit Polypus nescio? tamen Cel. Viro fidem minime denegabo, quippe qui suam sententiam observationibus forsan justis inniti videtur. Id saltem verum est, plurimos Polyporum pedunculos ex eadem materie ac Polypos ipsos esse conflatos, id quod & ipse k) concedit, & observationibus Cl. PUZOS l) & nostra evincitur. Si nunc ad nostrum Polypum oculos vertimus, manifestum intellectu est, illum fuisse productum per resolutionem Placentulae foetus octimestris, & ita ad secundam, de qua præcepi, classem esse referendum.

§. VII.

Si nunc rationem inquirimus, quomodo Polyporum figura surgat, ea omnino derivanda est a contiguitate, quam ipse Polypus cum Utero semper tuetur, unde conceditur, ut ille in Uterum agere, Uterusque iterum reagere & sic figura actioni & reactioni accommodata formari possit. Et cum sanguis arteriosius perpetuo cum aliquo impetu advehatur, venosus autem ob pediculum partim per substantiam Uteri pressum, & partim quia sanguis revehendus adscendere cogitur, nec facile propter hanc rationem revehi potest, ideo corpus polyposum in sua basi, ubi vasa recentiora & itaque molliora sunt, facilisque cedunt, quam ubi ab Utero propiora sunt, magis magisque extenditur in omnem sensum, majusque adquirit volumen, cum e contrario quo propius fundum Uteri spectat, eo minus expanditur; hinc & intelligi licet, cur pars superior minima instructa sit diametro? cur pedunculus adsit? An vero ratio, cur Polypus a parte tenuiori suspensus sit, derivanda est cum Cl. LEVRET m), quia illud frustum, quod pedun-

B 3

l) ibidem. l) *Traité des Accouchemens* p. 268. m) *Obs. sur la Cure radicale &c.* p. 37.

culum refert, non potest extendi pressum circumcirca ab Uteri orificio? Dolendum sane est, quod petiolus in Utero jam, antequam ab orificio comprimi possit, efformatus sit. Præter hancce figuram generalem nunc explicatam in nostro subiecto alia quædam adhuc nec sicco pede transeunda sunt. Adparet scilicet fere in parte inferiori impressio circumcirca Polypi peripheriam continuata, vallem, duos inter monticulos situatam, referens, quæ omnino originem duxisse videtur, dum illa pars extra vaginam propendebat, & a constrictore cunni *n*) valida vi contracto pressa fuit, quæ facile cedere potuit tota fungosa. Præterea & nostris oculis sese offert in parte ima quædam impressio transversalis, Uteri orificium mentiens, quæ juxta figuræ generalis ortum & dijudicanda videtur.

§. VIII.

Qua ratione cavum in Polypis remaneat, nunc mihi explicandum est. Quando post conceptionem embryo nimis nutritur per superfluum humorum nutrientium adfluxum, ejus corpusculum gelatinæ fere intar molliusculum, quasi difflit in massam informem abit conceptum spurium *o*), & si post tres demum menses excernitur, molam efformat *p*). Si nunc talis massa informis post tertium mensem per contractionem uteri extruditur, mola excreta esse perhibetur. Sicuti autem id fieri experientia testatur, ita haud minus evictum est, tales molas per multos menses, imo annos in utero commorari *q*). Id quod evadere potest, si vel ille per nutritionem abundantem in massam informem mutatus embryo non totus separatur, vel si separatur non ex utero excluditur. In utroque casu in loco, ubi placentula affixa fuit, à disruptione vasorum potest formari vulnusculum, quod vasa excrescere finit; si

n) Cujus figura nitide expressa prostat in EUSTACHII *Tab. anatomi.* XIV. Fig. I. Lit. x. *o*) vid. PUZOS *Traité des Accouchemens* p. 200. *p*) *ibidem*. p. 210. & SWIETENII *Comment. in Bœrb. Aphorism.* Tom. IV. p. 597. *q*) PUZOS *Tr. des Accouch.* p. 210.

nunc illa caro fungosa molam involvit, Polypus surgere videatur, aliquo omnino instructus cavo, scil. eo, in quo embryo antea contentus, nunc diffusus, quasi jacet; hinc & fit, quod quandoque in hoc cavo aqua reperiatur, quæ non nisi ille liquor amnios est embryonem alluens. Partes carnofas, quæ quandoque in illis cavis reperiuntur, merito pro molis agnoscimus, a quibus aqua illa limpida per vasa resorbentia fuit resorpta. Allegatam hancce de Polyporum cavorum ortu suspcionem nec exiguo robore præmuniunt pulcherrime illæ observationes, quas de conceptibus spuriis molisque fecit Clar. PUZOS r).

§. IX.

Quod nunc attinet ad Polypos vivaces, illi videntur natales ducere, quando humor illis nutritioni inserviens acrimonia quadam corruptus est, qui ita, quando illi fungi fuerunt extirpati, minime concedit, quod justa efformetur cicatrix, immo potius per suam acrimoniam consolidatos jam locos arrodit & in detestandum ulcerus mutat. In illis foemini, quarum uterus valido robore gaudet, & ideo Polypo crescenti validam resistentiam opponit, ejus partes ad se invicem comprimuntur, compactiores evadunt, & in duritiem scirrhosam abeunt, quæ conditio scirrhosa facile in cancrum degenerare valet, quando humores acres valida vi in vasa impinguntur, ut ruptura contingat, unde tunc effunduntur, per moram magis magisque acriores fiunt, donec tandem rodendo superficiem penetrant & ulcusculum carcinomatosum gignant.

§. X.

Quum non sufficiat ad justam de fungorum natura formandam ideam nosse, quid sub hoc nomine apud Auctores veniat, nec quales agnoscat causas, necesse nunc est, ut quid

r) ibidem p. 196. & 210.

de effectibus, quos in corpore producunt, SYMPTOMATA VOCANT, nec non de signis, quorum ope ab aliis haec loca occupantibus tumoribus rite queant dignosci & distingui, praepiam. In plurimis, quantum invenire mihi datum fuit, Autoribus symptomata recensentur, non uti ratione loci ubi Polypus commoratur producuntur & se invicem excipiunt, sed uti tum temporis scribenti in mentem inciderant. Sed cum haec methodus quandam efficere videtur confusionem & minus sollicitum observatorem facile in errorem ducere valet, ne ejus existentiae nec loci, ubi revera commoratur, ex symptomatis certus fiat, hinc constitui melioris perspicuitatis ergo, & ut ordinem quandam in eorum recensione eo melius prosequi possim, tria illa stadia, quae revera a se invicem differunt, fundamento ponere & ea, quomodo in his tribus stadiis Observatori se offerunt, recensere. Scilicet novimus Polypum vel in utero adhuc inclusum harrere, vel ex illo exeuntem in vaginam intrare ibidemque pedem figere, vel demum extra vaginam five totus five maxima ex parte propendere. Quodlibet horum stadiorum propriis effectibus se distinguit. Incipiamus igitur in recensendis illis symptomatis, quae Polypum in utero contentum produnt. Praemonendos interim Lectores duco, me solummodo de illis fungosis ex crescentiis sermonem injicere, quae suo pedunculo fundo s. corpori uteri se fixerunt. Quae collo five orificio accretae observantur singularem a me postulant sectionem, quia utraque Excrecentia quid privi habet, ideo & in posterioribus de illis dicam.

§. XI.

In plurimis morbis symptomata dantur, quae lusco cilibet statim adparent, aliaque, quae perspicacissimus Observator summo negotio & accuratissima demum observat attentione. Eodem fere modo dicendum est de symptomatis nostrum statum morbosum concomitantibus. In vulgus notum est, abdomen tumefieri, si vel fetus vel quoddam corpus heterogeneum

geneum Uterum distendit. Ideo propemodum superfluum est allegare, tumorem in Hypogastrio observasse Cl. LEVRET ^{s)}. Qui tumor, licet rariissime fuerit observatus vel non descriptus, quia nimis vulgare symptoma est, tamen semper plus minus observabilis esse debet; nam quamprimum quid heterogenei in Utero est, tantæ quidem magnitudinis, ut Uterus justo majus volumen afflumere cogatur, ille in omne latus distenditur. Eum vero in illud latus magis sese inclinare, quod minorem præstat resistentiam, idquod versus cavum abdominis obtainere tam a priori quam & a posteriori evincitur, nemo inficias ibit. Per experientiam tam in vivis quam mortuis factam edocemur, Uterum, si distenditur, ex cavitate Pelvis retro vesicam in cavum abdominale adscendere, & in ea ratione, in qua ejus volumen augetur, intestina tam sursum versus, quam & ad latera premere, qui status dein non valet non tumorem in Hypogastrio efficere, quippe cum illud organon præcise, nisi a ligamentis relaxatis in unum alterumve latus inclinare cogitur, hypogastrice respondeat regioni. Non minus ab omnibus observabile, sed gravioris momenti symptoma habetur HÆMORRHAGIA UTERINA a VATERO ^{t)}, TULPIO ^{u)}, SAVIARD ^{w)}, PUZOS ^{x)} & ZWINGERO ^{y)} observata, qui ultimus quidem eandem pro fluxu menstruo agnoscit, sed cum ille fluxus sanguineus tempore intempestivo sese fliterit, nec periodicus fuerit, cum quandoque per aliquot septimanas duraverit, & interdum nihil fluxerit, ideo illum convenire cum Hæmorrhagia symptomatica afferere minime dubito. Hanc autem Hæmorrhagiam omnibus viribus inititur probare Cl. LEVRET ^{z)}, tunc demum produci,

C

^{s)} Mem. de l' Acad. de Chir. Tom. III. p. 587. ^{t)} Mus. Anat. propr. p. 133. ^{u)} Obs. med. Lib. 3. Cap. 33. p 237. ^{w)} Recueil d' Observ. Chirurg. Obs. 36. ^{x)} Traité des Accouchemens p. 262. ^{y)} Ephém. Nat. Cur. Dec 2. Ann. 2. Obs. 186. p. 413. ^{z)} Obs. sur la Cure radicale &c. p. 22.

quando Polypi aliqua portio, sive tota ejus, excepto pedunculo, substantia jam in vagina hæret, quæ a spasmodica tum temporis, insequente contractione orificii externi, comprimi perhibetur, ita ut refluxus sanguinis impediatur, venæ in superficie ludentes varicosæ reddantur, & nimis extensæ tandem rumpantur, sanguinem effundant. Et si hæc explicatio quam pulcherrima sit, nec denegem, quin potius affirmem, Hæmorrhagiam a Polypo in vagina hærente causatam tali modo oriiri posse; tamen non possum non, quin declarem, Cl. Vi-
rum vel ex amore in hypothefes non voluisse Hæmorrhagiam observare a Polypo in Utero inclusō adhuc productam, vel in-
justam de ejus ortu fecisse derivationem. Subesse itaque aliam causam necesse est, quæ investiganda est. Inter verissima sa-
ne pertinet, ad Polypos efformandos vasa relaxata & elongata suam conferre symbolam. Hæc vasa quum nunc, quo magis relaxata fūnt, eo magis se distendi patientur, quum impetus humorum affluentium in nulla ratione sit cum refluxu illorum, hinc facile erit perspectu, vasa perpetuo vim distendentem ex-
periri, donec tandem eorum membranæ ita tensæ fūnt, ut necessario disrumpi debeant, hinc sanguinem effundere, Hæ-
morrhagiam creare. Quæ ruptura vasorum non absolute ad Hæmorrhagiam producendam necessaria est, quippe cum & ac-
cidere possit, ut oscula vasorum lateralia relaxata sanguinem rubrum per ANASTOMOSIN a) admittant, adque superfi-
ciem Polypi vehant, fluxumque sanguineum producant. Unde & Hæmorrhagia periodice redeuns dependere videtur b). Nam cum sanguis certa periodo in matricem plus confluit, &
menstrua efficit, hinc Polypus tum temporis, quo alias fluxus menstruus succedere deberet, majorem sanguinis quantitatem admittit, hinc vel ejus venæ nimis distenduntur & patiuntur c), vel arteriarum rami laterales anastomosi laborantes fan-

a) vid. Ill. GAUBII *Instit. Path. med.* §. 203. No. 2.

b) Quam Cl. SAVIARD se obseruasse dicit inter alios Obs. 36.

c) vid. Cel. GAUBII *Instit. Path. med.* §. 203. No. 4.

guinem rubrum ad superficiem determinant, & fluxum periodicum efficiunt. Cel. SAVIARD d) Hæmorrhagiam productam fuisse docet a venis, quæ sanguinem in cavum in Polypi medio observatum effuderunt. Cum autem Cel. Vir nullam viam indigitaverit, per quam ex Cavitate sanguis iterum effluere potuerit, non video, cur ejus sententiam adprobare debeam. Loco hujus fluxus sanguinæ perpetuam lymphæ albidae & gummæ effusionem quandoque obtinere Cel. PUZOS e) nobis descriptum reliquit. Id evenire, quando partes sanguinis rubræ, cruentum adpellant, suis in canaliculis moventur, nec per anæstomosin, nec per $\mu\zeta\pi\tau$ ex illis effluere coguntur, sed foliæ partes sero lymphaticæ per vasa lateralia in superficie Polypi hiantia exprimuntur, summe probabile est.

§. XII.

Tensionem & pressionem, quibus Polypi partes Utero vicinas vexant, incommodos quoque conciliare effectus quilibet perspiciet. Qui ex Anatome ligamenta novit, quæ Uterum in æquilibrio detinent, nec nisi ea sunt morbosæ, illum in hoc illudve latus inclinare concedunt; quem porro non fugit, hæc ligamenta adire nervos, hos vero ne minimam tensionem posse ferre, quin doleant, minime admirabitur, ægrotas quandoque de dolorosa tensione conqueri, quæ lancinantem quasi dolorem ex inguine versus coxam tendentem creat, quæ lumbos inguinaque dolere facit, ut id indigitant Observationes Cl. LEVRET f) & Cel. TH ZWINGERI g), qui ultimus eos dolores per tres menses sœviisse testatur. Si effectus a compressione derivandos perspicere optamus, necesse est, ut ad partes, quæ in Uteri vicinia situatae sunt, animum adverta-

C 2

d) Recueil d'Observat. chirurg. Obsf. 36. e) Traité des Accouchemens p. 262. f) Mem. de l' Acad. de Chir. Tom. III. p. 587.
g) Ephém. Nat. Cur. Dec. 2. Ann. 2. Obsf. 186. p. 413.

mus. Cystidem urinariam in parte anteriori duobus ligamentis Utero connecti, in parte postica intestinum situm esse retum ex Anatomie compertum est. Partes laterales, exceptis quibusdam partibus musculosis & membranaceo - cellulosis, mere ossreas esse nullum latere valet. Si nunc contemplamur Uterum parum partibus lateralibus ossis vim inferre posse, quin potius sursum versus adscendat, ibidemque intestina ex loco moveat; si cogitamus illum, quando in abdominale cavum adscendit, propter situm hominis erectum, & quia in parte postica prominentem duram vertebrarum columnam offendit, non facile esse acturum in partes postice situatas, sed quod potius in minus resistens antice cavum abdominis limitans membranaceum & musculosum tegumentum suas vires exercere tentet, quod ita agens vesicam offendat urinariam, & ita ejus fundum & corpus premere debeat, rationem in promptu habebimus, cur observatio Cl. ZWINGERI de frequenti mingendi desiderio, ceu individuo corporis polypoſi comite loquatur b).

§. XIII.

Qui in vagina haerent vel toti vel ex parte, ratione symptomatum a priori specie sane differunt, eadem interdum adeo illis plane sunt contraria. Huic classi proprium esse, quod ægrotæ pondus in parte abdominis infima sentiant, Verba Cl. PUZOS i) indicant. Ischuriā veram individuām pedissequām esse apud VATERUM k), TULPIUM l), ZWINGERUM m) & LEVRET n) legitur, quorum ultimus huic adhuc adposuit vehementes dolores renūm, vomitum & insomniā cum magna debilitate. Cel. VATER o) se semel observasse alvinam obſtructionem quoque refert. Quibus adhuc & illam symptomaticam hæmorrhagiam adponendam esse duco. Valde pro-

b) l. c. i) *Traité des Accouchemens* p. 242. k) *Mus. Anat. prop. p. 134.* l) *Olf. med.*, Lib. 3, Cap. 13. p. 237. m) l. c.
n) *Mem. de l' Acad. de Chir.*, Tom. III. p. 528. o) l. c.

babile scil. est, Polypum ex parte vel totum in vaginam egestum ex Utero per orificium constringi, & per hancce dein constrictiōnem refluxum sanguinis impediri, venas varicosas reddi, rupturam experiri & hæmorrhagiam efformare. Ex quibus simul ob viciniā loci urinæ difficultatem & obſtructiōnem alvi derivare haud est difficile. Retentionem vero urinæ reliqua recensita fere omnia posse producere, ille ſolummodo ignorabit, qui communicationem inter renes & veficam urinariam nescit. Si contemplamur, quomodo urina per colum renale a ſanguine fecernatur, quomodo ſecreta ex renibus per ureteres, duos haud exiguae diametri ductus ſuper muſculos pfoas in tela cellulofa migrantes, veficæ tradatur, facilis illorum ſymptomatum erit derivatio. Quum enim Lege a Natura ſtabilita urina in veficam deposita per urethram debet e corpore eliminari, a Polypi mole autem hæc excretio turbatur, ideo in ciftidem tamdiu committitur, usque dum illa nullam amplius recipere valet, ultra modum diſtenta; hinc ureteres ſuperfluam quantitatē recipere coacti nimis quoque dilatantur, donec nimis diſtenti a renibus nihil affumant, & ideo idem malum & illis concilient. Quam diſtensionem nimiam harum partium neceſſario vehementes dolores in lumbis & regione renalı poſt ſe trahere oportet. Hi affectus renum autem, cum propter conſenſum, qui inter ventriculum & renes ob nervum intercoſtalem & parvagum intercedit, illum irritant, efficiunt ut vomitus ſurgat. Quando nunc ſecreto urinæ cohibita eſt, urina in maſſa ſanguinis manet, & cum illa per totum corpus circulationem ſubit. Si jam per ERROREM FLUENTIUM, uti id vocat Ill. GAUBIUS p), hic liquor fecernendus ad cerebrum advehitur, quies ſomnusque neceſſario debent turbari, & iſomnia ſuccedere. Si quis autem dolorem vehementem, de quo ægrotæ conqueruntur, pro cauſa ſufficiente agnoscere vult, me non contrariantem habebit.

C 3

p) Inſt. Path. med. §. 399.

§. XIV.

Symptomata in tertio stadio observanda, quum rarissime diu in illo permanent Polypi, absque ut auxilium adferatur vel repellendo vel statim extirpando, sparsim recensentur. Tamen a majori tractione, quam partibus vicinis adfert, dolores lumborum fœminas sentire monet Cl. LEVRET *q*), & confirmatur per effatum Cel. VATERI *r*). Quum autem hæc corpora aëri exposita sunt, hinc facilissimo negotio, licet antea benignæ fuerint indolis, possunt inflammatione corripi & in pessimum statum degenerare, hinc symptomatibus ab inflammatione oriundis fœminas vexare, dolore scil. vehementi, febre, vomitu, singultu tandemque efficere, ut diet. obeant supremum. Polypi igitur antea indolentes, quando inflamantur, vehementer dolere incipiunt, id quod ex productione uterinæ substantiæ facile colligendum esse arbitror.

§. XV.

Propositis igitur illis mutationibus, quas Polypi fundo vel corpori uteri accreti in corpore producunt, necesse est indigicare, quid tam collo adfixi quam ab orificio propendentes pri- vi habeant. Hæmorrhagiam veram sequelam esse in hisce speciebus nusquam reperire potui. Et Cl. LEVRET *s*) ejusdem est sententia simul monens, illis quam maxime proprium esse, quod fœminæ majori humiditate laborent, quam ante hunc morbum, hinc fluore albo ut plurimum perpetuo afficiantur. Hoc symptoma optime confirmat illa observatio, quam nobis communicavit Cl. BOURTON *t*), in qua indicatur fœminam per septem annos fluore albo & Polypo uteri orificio accreto laborasse. Unde autem venit, quod has Polyporum species

q) Mem. de l' Acad. de Chir. Tom. III. p. 587. r) Mus. Anat. prop. p. 134. s) Obs. sur l' &c. p. 48. t) vid. Samml. chirurg. und medicinscher Wahrnehmungen; aus dem Franz. übersetzt. 3ter Band. p. 272.

nulla hæmorrhagia comitetur? Rationem in eo se detexisse putat Cl. LEVRET ^{u)}, quia horum Polyporum petioli ab uteri orificio non comprimuntur. Id quidem verum est respectu illorum, qui orificio adhærent, sed qui collo adfixi sunt, æque ac priores ab orificio, quando constringitur, possunt comprimi, quia eorum petioli orificium quoque transeunt; nec rationem video, cur in uno casu plus constringi debeant ac in altero, quippe cum eadem massa plus minus magna illud dividit sibi que transitum parat. Inde omnino requiritur, ut aliam rationem investigemus. Omnino plus quam probabile est, collis structuram differre ab eadem fundi corporisque. Ea videtur strictior, compactiorque esse, pauciora aut nulla vasa rubra admittere, semper pallidiori colore instructa. Ex his rationibus nunc videtur elici posse, cur in dictis speciebus nulla hæmorrhagia adsit. Vasa quo strictiora sunt eo minus se distendi patientur, quo minus distenta sunt, eo subtiliores humores recipere coguntur, cum nunc in nostris Polypis ea obtineant, cum præterea vasa colummodo disposita sint subtiliores rubris humores vehere, hinc videtur sanguinem rubrum substantiam horum Polyporum vel plane non vel faltem non in ea quantitate intrare, ut rupturam experiantur, hæmorrhagiam creent, sed ut potius humores fero-sø-lymphatici per vasa lateralia ad orificia in superficie hiantia transportentur & fluorem illum album promoveant.

§. XVI.

Ex recentis symptomatis Polyporum existentiam, uti quoque insertionem dignosci posse quilibet nunc crederet, sed quum hæc symptomata à pluribus aliis causis possunt produci, quas allegare superfluum duco, quum præterea quedam omnibus ratione insertionis loci diversis Polyporum speciebus communia sunt ideo adhuc alia signa sensibilia, uti illa vocat

^{u)} *Obj. sur la Cure &c.* p. 48.

Cl. PUZOS ^{w)}, ad distinctionem priorum, quæ rationalia vocat, in usum sunt vocanda, quo diagnosis eo firmiori nitatur talo. Ad hæc eruenda nobis inserviunt tam visus quam tactus, per quos duos sensus non solum eo pervenire possumus, ut cum signis rationalibus simul sumtis certiores reddamur de existentia Polypi, sed simul optime eos discernere valeamus ab aliis tumoribus, qui efformantur partim ab uteri prolapso, partim ab inversione. Quam diu Polypus adhuc in utero inclusus est, clauso orificio nihil certi per tactum determinari valet, quippe cum nihil aliud quam corpus sive moles quedam per uteri substantiam sentiatur. Quam primum autem ille in vaginam intravit, vel ex parte sive totus extra illam propendet per tactum nostrum finem possumus assequi. Si dito tangenti corpus se opponit, cuius pedunculus transversaliter orificium uteri transit dilatatum, absque ut suam perdidet figuram, concludere licet cum Cel. LEVRET ^{x)} Polypum fundo uteri accretum esse. Majoris certitudinis ergo liceat addere, ut semper inveniatur, nisi plenaria uteri inversio adsit à pondere hujus molis producta, radix tenuior quod orificium transeat, circa quam & sine impedimento digitum in gyrum agere valemus. Quando è contrario digitus non circa totam peripheriam duci potest, quin resistentia à petiolo incurvato opponatur, signum infallibile Polypi collo accreti adparere demonstrat Cel. LEVRET ^{y)}. Si rima oris uterini libera invenitur; si orificium situm obliquum habet, si parti orificii crassiori petiolus adhærens animadvertisit, Polypum orificio accretum esse perhibetur ^{z)}. Quum autem POLYPI VIVACES eam proprietatem habent, quod extirpati iterum propullent, Mendientum omnino interest nosse, quibus signis ab aliis speciebus possunt distingui, ne eorum extirpatio tentetur; ideo ex Cl. LEVRET ^{a)} allegare volui, quod scil. perpetuo fluxu sanguineo, dolore

^{w)} *Traité des Accouchemens*, p. 262. ^{x)} *Obs sur la Cure &c.*
 p. 46. ^{y)} *ibid.* p. 47. ^{z)} *ibid.* p. 54. ^{a)} *Mem. de l'Acad. de Chir.* Tom. III. p. 588, 589.

dolore uterum moleste affidente, nec non involucro, quo vel plane carent, vel saltem tenuissimo vix observabili obducti sunt, suam prodant existentiam. Dari & alios tumores in Utero, qui quoque penduli & ideo pro Polypis primo intuitu possunt haberi, Anatome nuper mihi ostendit. Scil. inveni in duobus subiectis Excrecentiam nucis avellanæ magnitudinis, Uteri membrana obductam plane, ita ut illa pars tenuis, quæ petiolum referebat, a sola Uteri membrana efformata fuerit, & illa excrecentia non nisi tenuibus filis cellulosis vasculosisque a se invicem distantibus, cum Uteri substantia cohaerent. Quia ex descriptione facile nunc eruuntur signa, quæ hos tumores a veris Polypis distinguunt. Pars tenuis nullam soliditatem habet, sed flaccida est, cum in Polypo petiolus crassus & erectus, eademque, qua Polypus ipse, ut plurimum instritus sit soliditate & materie. Et si preterea tales tumores scalpelli ope dividuntur, denuo differentia occurrit. Materies ex qua componebantur, magis steatomatoſa videtur ac fungoſa sive carnoſa, ut id in Polypis evidenter adparet. Interim & fatis probabile est, tales tumores steatomatosos nullam haemorrhagiam nec fluorem album comitari.

§. XVII.

Ne autem, scienti plurima prostant tristia exempla, ubi Uterus prolapsus pro Polypo fuit habitus, hinc & valde vexatus, ut inflammatio surrexerit vehementissima, quæ cum morte fuit finita b), vel ubi Polypum considerarunt tanquam prolapsum, illumque ope pessarii in sua fede tenere tentarunt, & sic ægrotæ vehementes conciliarunt dolores c), ne inquam tales errores ulterius committantur, optimum est, illa signa

D

b) Dum excerpta faciens oblitus sum Auctorem locumque, ubi hæc exempla prostant, annotare, ideo me ipsum, quod non quid debebam præstiterim, accuso; interea & B. L. illis fidem non denegabis. c) Mem. de l' Acad. de Chir. Tom. III, p. 541, & 542.

noste diagnostica , per quæ rite a se invicem possunt distingui.
 Quando adhuc in vagina hæret , differt a prolapsu Uteri incompleto , quod nullum orificium habeat , & si quid simile animadvertisit , quod nec digitum nec specillum admittat ; dein quod non possit retrappelli , & pars quoque inferior Polypi semper latior sit superiori , cum e contrario in Prolapsu Uteri pars superior latior est inferiori *d)* . Ab inversione Uteri incompleta in eo differt Polypus , quod scil . pedunculus s . pars tenuior os uterinum transeat , cum , quando inversio adest , pars lata crassaque ab illo cingitur . Porro observatur Polypum Uteri orificium solummodo parum dilatare , nec illius directionem parallelam cum corporis axe longitudinali mutare . A fundo inverso autem os valde dilatatur , adque latus inclinare cogitur . Ratione repositionis idem valet ac dictum fuit antea *e)* . His adhuc adponendam esse insensibilitatem monet Cl . PORTAL *f)* . Cum autem Polypi cancroſi quoque dolent , & quandoque Uterus quandam insensibilitatem habet , uti Cl . LEVRET *g)* annotat , hinc maxima attentione circa hoc signum versandum est . Quando Polypus totus ex vagina detrusus fuit , magnam similitudinem habet cum Uteri prolapsu completo , sive inversione completa , tamen distingui valet , per absentiam orificii , quod a vagina non sit teſtus , nec vaginæ adhæreat , sed permittat , ut digitus inter vaginam & suam substantiam in introitu canalis possit immitti , cum e contrario tam in prolapsu , quam in inversione vagina firmiter super Uterum posita sit . Quia autem cum inverso Uteri fundo & vagina simul prolabitur , & quasi pedunculum mentitur , hinc facile pro Polypo posset sumi , niſi cum allegatis signis & ratione soliditatis differentia intercederet . Sed cum pedunculus falsus a vagina efformatus quasi cavus & mollis animadvertisatur , & contra petiolus Polypi

d) vid . LEVRET *Obs. sur l'Op. p. 109. & sqq.* *e)* ibidem p. 129.
130. *f)* *Precis de Chirurg. prat. Tom. II. p. 237.* *g)* *Obs. sur la Cure Op. p. 127.*

solidior & plenus adpareat, ideo & novum distinctionis signum habemus b). Annon & id considerari meretur, quod scilicet inversio nunquam aut rarissime contingat, nisi per indecentem tractionem funiculi umbilicalis post partum, vel per aliud corpus heterogeneum in Utero inclusum fundus illius deorsum extra os protrahitur, quod ergo & a causa signum pathognomonicum sit mutuandum.

§. XVIII.

Hisce igitur præmissis riteque pensatis non difficile erit perspectu, unde hemorrhagia in nostra ægrota surrexerit? unde fluor albus? unde tumor abdominis? cur gravitatem in parte ima abdominis fenserit? cur nulla retentio urinæ, nulla alvina obstructio observata fuerint? quia nimirum Polypus non diu in secundo stadio permanxit. Cur obstetrix crediderit adesse verum Uteri Prolapsum? cur e contrario Vir Expertissimus statim pro Polypo illum agnoverit tumorem?

§. XIX.

Haud incongruum nunc adhuc fore, si quasdam in medium proferam quæstiones: An Polypi conceptionem impedit? an partui obsunt? Quod attinet ad primam, omnino, ut illa possit fieri, videtur impossibile, si ad quasdam solummodo animadvertiscas circumstantias. Eam autem haud impedit faltem à posteriori evincitur. Apud HIER. FABR. HILDANUM i) jam exemplum prostat, conceptionem existente Polypo fuisse factam. Et Cl. LEVRET k) idem variis demonstrat exem-

D 2

b) *ibidem* p. 121. & 136. i) *Ols. chirurg.* Cent. I. Obs. 67.
Ille quidem de scirrho id præcipit, sed cum non penitus, uti simul innuit, Utero adhæserit, ideo credo huncce tumorem ad Polyporum classem esse referendum. k) *Mem. de l' Acad. de Chir.* Tom. III. p. 543. & sqq.

plis. Si ergo per ratiocinia hoc phœnomenon haud explicari posset, illud jam fatis esset per experientiam probatum. Sed licet id sufficiens foret, tamen videamus, annon à priori id quoque possit explicari? & quibus sub limitationibus? "Omnia, quibus fit, ut semen masculinum rite recipi, subire, retiniri, quo decet, permeare, suamque vim exferere, aut foemina, quod siuum est, conferre haud possit, sterilitatem morbosam inferre" effatum III. GAUBII¹⁾ est. Si nunc ex physiologicis cognitionib[us] est, semen masculinum debere per vaginam & orificium uteri ad ejus fundum injici, per contractionem dein irritationi à semine calido factæ succedentem versus orificio tubarum Fallopii determinari, ut per earum vim quasi fugientem adtrahatur, ut liquido ex ovario effluenti obviam eat, cum illo se misceat, & mixtum iterum in uterus confluat, si hæc comparantur cum verbis III. GAUBII & cum illo, quod evenire oportet, quando uterus Polypum in suo fovet siu, nemo Polypum huc pertinere dubitat. Interim si orificium non plane obturatur, quando vel Polypi volumen non ita magnum vel ejus directio ita comparata est, ut inter illum & uteri parietem unam alteramve spatium remaneat, quo semen masculinum permeare versusque unam Fallopii tubam determinari valet, tamen conceptionis possibilitas fit imaginabilis. An vero semen masculinum immediate fundum oportet petere? an ad utramque tubam adplicetur necesse est? Ex qua ratione nunc convictus me, fateor, omnino ejus esse sententia; quod ratione loci, ubi inseruntur, magna intercedat differentia. Hinc statuo eam esse possibilem, si Polypus ex fundo s. ex corpore uteri suspensus est, nec nimium volumen adquisivit, quo plane os externum claudatur. Impossibilitas è contrario adparret, si collum uteri aut ejus orificium Polypo insertionis loco sunt, quippe in priori casu apertura per Polypi molem ante Januam quasi jacentem ex toto debet obturari, & in secundo præter plenariam rimæ obliterationem simul orificium per pon-

¹⁾ Inst. Patbol. med. §. 828.

dus corporis heterogenei ductum perfectam assequitur obliquitatem, ut non possit fieri, quin semen orificium aberret. Quamvis autem conceptionem non penitus turbari demonstraverim, tamen Polypos vel partus præmaturi *m)* quandoque causam esse, si nimiam in molem creverunt, vel si id non faciunt, transitui infantis obstaculum ponere *n)* certum est. Unde venit, quod rebus sic constitutis Cl. LEVRET *o)* suadet tumorem, quantum potis est, extra vaginam trahere, ligare & abscindere, ut infanti transitus concedatur, vel si hæc encheiresis adplicari non valet, illum in unum alterumve latus premere, ut caput infantis se inter tumorem & vaginam insinuare siveque partus promoveri possit.

§. XX.

Prognosis optime statuenda est juxta Polyporum, ubi comorantur, locum, eorumque indolem. Illis quam diu adhuc in utero inclusi sunt nulla ratione mederi valemus, quia de ejus existentia nequidem justam diagnosin facere possumus, nec eo minus eorum naturam novimus, nec ulla via adest, per quam medela adferri posset. Illi qui in vagina inclusi sunt plus minus difficultatis Medenti opponunt, tamen extirpandi omnino locus est. Qui denum extra vaginam prolapsi sunt, non solum optime destrui possunt, sed urgens indicatio jubet eos statim esse ligandos & abscindendos, ne vehementiora surgant symptomata. Ratione indolis primum in considerationem veniunt benigni, quos, sit nunc eorum volumen magnum aut parvum, sint molles durive, summa felicis curationis spe possumus adgredi. Quod autem malignos spectat,

D 3

m) vid. Mem. de l' Acad. de Chir. Tom. III. p. 547. & ROEDERERI Elementa Art. obſteſſ. §. 723. Lit. *z.* *n)* vid. HILDANI Obſ. Chirurg. Cent. I. Obſ. 67. & Œſſais ſur l'abus des Règ. générales & contre les Préjugés, qui s'opposent aux Progrès de l'Art des Accouchemens, par Mr. LEVRET. p. 150. *o)* ib. p. 151, & fqq.

qui in cancerum abituri sunt vel jam abierunt, his nullo modo manus adipicari suadet BERTRANDI p): "Quand il est cancreux, inquit ille, „l'extirpation est très-dangereuse, il furvient pour l'ordinaire une hæmorrhagie mortelle, ou l'ulcère, qui „reste à la racine coupée, se dilate d'avantage & corrode les „parties voisines." Hanc prognosin tamen limitat Cl. LEVRET q), distinctionem quandam faciens. Ejusdem sententiae est, si Polypus cancerosus Uteri orificio accretus est, quia semper collum una affectum est; si vero ex Uteri fundo Polypus provenit, spem curationis aedesse, si ligatura cito instituitur, præcipit. Quod demum attinet ad Polypos vivaces; illos plane incurabiles declarat Cl. LEVRET r), non quidem, quia extirpari nequeunt, sed quoniam extirpati lapsi aliquo tempore de novo propullulant. Per Observationem Cel. TULPII s) & id effatum optime confirmatur. Audias eum loquentem: "Post anni curriculum ægrota sensit illuc iterum increscere, sed mutabatur brevi in pus: quocum frustulatum ubi excideret, liberavit ipsam a repetenda sectione, sed nequaquam a continuo foetore, vehementibus angustiis & frequentibus animi deliquiis. Quorum symptomatum ergo necesse habuit deinceps integrum decennium immundam hancce vulvæ illuviem aliquoties abluerre per Clysterem quendam &c."

§. XXI.

Curationem, de qua nunc ultimo mihi dicendum est, foliis Naturæ conaminibus, diversis quam maxime medicaminibus, methodis periculosis nec non nullo sive parvo periculo junctis tentatam & absolutam fuisse, sequens methodorum catalogus evincet. Deberem quidem primo admirandas cane-

p) *Traité des Opérat. de Chir. trad. de l'Italien.* p. 383. q) *Mémo. de l' Acad. de Chir.* Tom. III. p. 587. r) *ibid.* p. 588. & sqq.
s) *Obs. med.* Lib. III. Obs. 33. p. 238.

re Naturæ vires, sed quum ante MAURICEAU & RUYSCHIUM,
 uti mihi saltem cognitum est, nemo Chirurgorum vel observa-
 verit, qua ratione Natura in eradicandis Polypis utebatur,
 vel eam imitari noluerit, ideo antequam Naturæ opus sum ex-
 plicaturus, indigitabo, qualia infœcûra adhibuerunt medica-
 menta Veteres, sive quod nimis tarda usi fuerint ope, ut tur-
 ma symptomatum pessimorum vel sola infœcûm conciliaverit
 morbi eventum. Ex defectu sufficientis cognitionis Veteres
 remedia infœcûra præferri nullis maluerunt. Nulla habita ita-
 que ratione ad loca, quæ Polypos in sinu fovent, talia reme-
 dia in usum traxerunt, qualia aliis similibus tumoribus nares
 v. g. occupantibus utilia esse experientia edocuit. Immortalis
 CELSUS t), sumnum Medicinæ Decus, eos Cauteris poten-
 tialibus, & si hæc non sufficerent, ipso ferro adurendos esse
 statuit. Quendam Pseudomedicum talem tumorem Oleo Vi-
 trioli corrodere tentasse, & quia hoc fumme corrodens & solida,
 quæ alluit, destruens nullum effectum præstit, forcipe rese-
 cassæ, hoc quidem effectu, ut ægrotæ per hæmorrhagiam in-
 sequentem e medio fuisse sublatam, legimus apud ZACUTUM
 LUSITANUM u). Nec minus periculosa commendatur ab
 AETIO methodus w), qui Polypum forcipe prehendi, & ex
 tota basi resecari vult, postque sectionem vulnus spongia ex
 vino adstringente aut aqua frigida expressa detergi, Mannaque
 Thuriis confpergi suadet. Eodem fere modo & incedit FABR.
 AB AQUAPENDENTE x), qui tamen in eo differt, quod Poly-
 pam forcipe contorquendo prius aliquommodo folverit, ante-
 quam sectionem instituit, quem in finem se instrumentum ex-
 cogitasse & adhibuisse gloriatur, „quod Polypumprehendere,
 „foras extrahere & scindere una potuit.” De duobus Polypis
 mentionem facit Cl. LEVRET y), qui torquendo semper in

t) de Medicina Lib. 6. Cap. 18.- No. 11. u) Prax. med. Lib. 2.
 Obs. 86. w) Lib. 4. Serm. 4. Cap. 104. p. 122. x) Operat.
 Chirurg. Part. I. p. 182. y) Mem. de l'Ac. de Chir. T. III. p.
 557. & sqq.

unum sensum fuerunt soluti. Sed hanc methodum minime adprobat, quia & Uterus simul torqueri potest, & valida hæmorrhagia oriri. Si quidem radix valde tenuis animadvertisit & orificio accreta, ut ea forcipe teneri possit, eam tentari posse monet. Ex duplice sibi proposito fine non solum periculo modo, sed & adstantibus & ægrotis horrorem injiciente farcomata extirpavit admovendo scalpelum candens, quo scilicet Polypum extirparet simulque per adustam eodem tempore crustam præcaveret hæmorrhagiam VOLTETUS ^{z).} Quod tales tumores cum scalpello absque ligatura radicibus evellendi sint sententia TULPII a) est, quam theoriā biga fulcivit observatione, ubi eo præsente Chirurgus in vagina adhuc inclusos Polypos dicto modo adgrefsus fuit. Omnes vero allegatas methodos maximo junc̄tas esse periculo quilibet perspiciet, qui solummodo loca vicina in considerationem trahit & simul effectus, qui necessario sequi debent. An in loco tam angusto ipsa cauteria tam potentialia quam & actualia ita dirigi possunt, ut solum corpus heterogeneum destruant, nec loca vicina tangant? Et quales horrendæ sequelæ talem adustionem partium sanarum excipere valent? An cum forcipe Polypus solus torquetur; an vero & ipsa uterina substantia cum pedunculo idem experitur fatum? Quales & hancce torsionem, irritationemque sequantur, neesse est, effectus? Merito ergo nostris temporibus exploduntur recensitæ methodi. De methodo Tulpiana in posterioribus locus mihi erit sermonem injiciendi, hinc eam pro hac vice silentio transibo.

§. XXII.

Nunc ut naturæ conaminum mentionem faciam ordo postulare

^{z)} Gebammen-Schul p. 48. a) Ohs. med. Lib. 3. Cap. 33. pag. 237.

stulare videtur. Adoremus, necesse est, Creatorem, qui corpus humanum ita struxerit, ut à multis periculis imminentibus se defendere, à variis corporibus heterogeneis liberare proprio Marte possit! Efficacem enim quoad nostrum morbum debellandum admiramur naturam, quæ toties sibi sufficerit Polypis extirpandis b)? Quam felices nos possumus astumare, quod per ipsam naturam nostri Antecessores posterioris præparatis facili demum edocti fuerint, quomodo methodo secura his malis medendum sit, ut a consuetis & periculosissimis medicaminibus se valuerint abstinere. Quomodo autem natura in peragendo suo opere incedit? Novimus uterum sufficienibus & validis instructum esse viribus, quibus non solum vi alicui distendunt se opponit, sed & corpora heterogenea, in suo cavo contenta, molestiamque creantia, expellere potest. Quando nunc Polypus ejus parietes distendit fibrasque irritat, en admiranda nature lege! fundus se constringit & in ea ratione, in qua constrictio contingit, corpus contentum versus orificium, ubi minimam invenit resistentiam, pellit, illudque ipsum aperit, ita ut continuata contractione fibrarum fundi corporisque eo magis orificio dilatetur, eo ulterius corpus extrorsum eliminetur. Detrusa nunc ex toto massa polyposa, pedunculo excepto, orificio propriis viribus & quandoque spasmodice quasi constringitur, circum circa petiolum vim comprimentem exercet, quo fit, ut influxus & adhuc magis refluxus humorum tollatur, hinc massa polyposa tumefit, & exorta quasi fermentatione, nutritione privata, per putredinem corruptitur, & tandem continuata mortificatione ad ligaturam usque & ultra ibidem solvitur. Talem vero expulsionem ex utero in vaginam & extra illam sequi debere inversionem

E

b) Polyporum folius Naturæ encheiresi expulorum exempla recentent MAURICEAU dans son *Traité des Accouchem.* dernier. Observ. p. 19. Obs. 33. & p. 76. Obs. 145. SOLINGENIUS in sua *Chirurgia* p. 720. & LEVRET Obs. sur la Cure &c. p. 40. Obs. VI. & Mem. de l' Acad. de Chir. Tom. III. p. 552. & 553.

uteri nemo mirabitur. Pedunculus enim non solvitur, sed in ea ratione, in qua massa polyposa descendit substantiam, cui firmiter infixa est, post se trahit & quasi invertit. Hinc illa inversio eo major erit, quo ulterius descendit Polypus & quo brevior est pedunculus, & eo minor, quo major est longitudo petioli & quo minus Polypus partes infra situatas legit. Talem inversionem uteri à Polypi descensu productam vedit VACOUSSAIN c) in cadavere alicujus filiæ hoc morbo laborantis & emortuæ. Licet quidem hæc Naturæ encheiresis Chirurgis optime placuerit, tamen eam non penitus imitari potuerunt. Scilicet illis per longum tempus impossibile erat ligaturam circa pedunculum, Polypo in vagina hærente, circumligare, ideoque coacti erant illud temporis exspectare punctum, quo totus extra vaginam propendebat. In hoc statu duplificando ligatura pedunculum constringerunt. Simplicissima methodo usus fuit Cel. Puzos d), qui filum solummodo circa petiolum posuit, constringit & nodo confirmavit. Paululum difficultiore ligaturam instituit Cl. ESPARGNET e). En sequenti modo incessit: Sumebat acum filum ceratum trahentem, traciebat eam per medium pedunculi, deinceps formabat ex filo diverso duas ansas, per quas duo cylindri lignei trajiciebantur, quorum ope illæ duæ ansæ torquebantur, & sic pedunculus constringebatur. Hæc torsio bis de die repetebatur, donec Polypus, nutritione privatus, separatus fuit. Tempore vero intermedio illæ duæ ansæ firmabantur ad alias ansas, quæ a mantili circa abdomen voluto propendebant. Et cum quandoque tales excrescentias partum impedientes ex tempore abscondendas esse perspexit Cl. LEVRET f); hinc & methodum describit, quomodo ligatura possit institui ante sectionem, quæ fere cum illa convenit, qua usus fuit Cl. ESPARGNET. Audias ejus verba: "Pour se remettre que la ligature restera

c) Mem. de l' Acad. de Chirurg. Tom. III. p. 56. d) Traité des Accouchemens p. 269. e) Mem. de l' Acad. de Chir. Tom. III. pag. 532. f) Essais sur l' Abus &c. pag. 152. & sqq.

„en place, il faut percer la tumeur de part en part la plus près
„de son attache, que faire se pourra & pour plus grande su-
„reté, la larder en croix & nouer les huit chefs des ligatures
„sur les quatre quartiers intermediaires au point de l'eguille
„avant de l'embrasser circulairement.”

§. XXIII.

Postquam autem viderunt Viri Experti, fœminas magno periculo, magnis cruciatibus & molestiis exponi, antequam Polypus extra vaginam eliminatur, eo nitebantur, ut, quomodo in vagina adhuc hærens, vinculo possit constringi, & nutritione privari, excogitaretur. De methodo molesta aliquatenus sed certe ingeniosa mentionem facit STALPART VAN DER WIEL^{g)}, qua quidam Chirurgus utebatur. Ille nimirum corpus Polypi duplici filo cinxit, & dein filum digitorum ope ad Polypi radicem usque promovit. Quia autem ob viæ angustiam non facile torsio, quæ tamen necessaria erat, poterat institui, fili extremitatem crassiori firmiorique alligavit specillo, quo filum contorqueri & radix constringi valeant. Eundem in finem utile instrumentum figura expressit Cel. SCHARP^{b)}, quod Cl. CHESELDEN Inventorem agnoscat, de quo autem, quod fini respondeat, valde dubito. In exarandis autem talibus instrumentis omnibus palam præripit Cel. LEVRET, quæ variis in Libris videnda sunt. Et cum ipse plurima minus utilia declaraverit, ea silentio transibo, potius curiosum Lectorem ad Ejus Opera relegans ^{i).} Tamen non possum, quin & de tribus ultimis instrumentis, quæ invenit, quedam

E 2

^{g)} Obs. rar. 87. ^{b)} Traité des Opérations de Chirurgie p. 350.
ⁱ⁾ vid. Observat. sur la Cure radicale &c. p. 60 — 61. Tab. I. Fig. 8.
p. 393. & sqq. Tab. 2. p. 416, & sqq. Fig. 7 — 19. Tab. 3. &
p. 433. & sqq. Tab. 6.

verba injiciam. Primum est valde simplex & facile applicatu *k)*; compositum est ex duabus ad se invicem adglutinatis Cylindris cavis & ex argento paratis. Per hos duos canales trajicitur filum argenteum, ita ut ejus extremitates pendulae sint ex parte inferiori tubularum, & pars media ansam quandam efformet, accommodatam diametro Polypi deligandi. In parte inferiori utriusque tubuli annulus affixus est, ut portio ligaturae inferior ibidem possit alligari. Cum hoc instrumento, antequam operatio instituitur, una fili extremitas annulo adfigitur, altera vero pendula manet. Dein ansa efformata super Polypum ad radicem usque determinatur, quo facto extremitas pendula fili adtrahitur, donec resistentia, signum exhibit, pedunculum satis compressum esse, ad meliorem efficiendam constrictiōnem, altera extremitate fili simul annulo alligata, instrumentum in Gyrum vertitur & ligatura torquetur. Quæ encheiresis bis de die repetitur, usque dum Polypus plane separatur. Tempore intermedio firmatur instrumentum per accommodatam fasciam ad femur, ne cedere possit. Uſus autem hujus instrumenti aliquam emendationem requiri ostendit. Quum enim Cel. KEK *l)* illud adhibuit, contigit, ut bis filum argenteum per factam torsionem fractum sit, quod & Cl. Inventori *m)* ipſi contigisse legimus. Ex necesse tuncce coactus, quia cum illo finem aſsequi non potuit, pulchre illud emendavit KEK *n)*. Scilicet illud ita comparari curavit, ut filum supra quendam Cylindrum volutare possit, nec opus sit ut torsio instituantur. Porro & ipsum filum aliqua tænia bombycina obduxit, quo minus fractura metuenda sit. Ex eadem ratione & adhuc magis, quia illud Polypis mollibus & parvis minime inserviit, illud corrigerē tentavit Cl. Inven-

k) Mem. de l' Acad. de Chirurg. Tom. III. p. 578 -- 579. cuius Figura proſtat Tab. XIII. Fig. 3.

l) vid. Jourzal de Medecine &c. de Novembre 1769. p. 440, & ſqq. Figura & ibidem proſtat.

m) Mem. de l' Acad. de Chir. Tom. III. p. 599. *n)* l. c.

tör o). En! correctio in eo consistit: Sumebat loco fili argentei filum cannabinum, quod eodem modo per utrumque trajiciebat tubulum, hac tamen cum differentia, quod ansa in parte superiori facta nodo aliquo firmetur. Hoc facto nondum cum aliqua ferica tænia valde tenui, ejusdemque ac filum cannabinum triplex ceratum longitudinis, circumvolvebat, quam dein ope alicujus styli per utrumque Cylindrum trudebat, & ad annulos in parte inferiori videndos alligabat. Adplacatio fere eodem modo contingit ac in precedenti. Ansa super Polypum ad radieem usque ope digiti deducitur, intrudendo simul altera manu instrumentum, sic nodus pedunculo adPLICatur, sic constrictio fit absque torsione. Solummodo necesse est, ut in ea ratione, qua diameter pedunculi diminuitur, instrumentum ulterius promoveatur introrsum, & fili extremitates adtrahantur. Finita operatione Instrumentum per adproprietam fasciam ad femur firmetur necesse est. Licet autem haec correctio satis bona esse videatur, tamen cum illa non contentus erat Cl. Inventor, sed & aliam meliorem debere institui necessarium putavit. Illud ex toto nuncce mutavit: Tubuli antea recti figuram obtinuerunt incurvataam, & in formam alicujus forcipis brachiorum cum se invicem uniuntur. Ansa non amplius nodo firmatur, sed libera pedunculum circumdat & stringit in ea ratione, in qua brachia instrumenti ad se invicem adPLICantur. Per id nunc satis ingeniosum instrumentum omne id obtinuisse credit, quod methodum securam & applicationem facilem reddere valet p). Tandem & de aliquo instrumento mihi dicendum est, quod adhibet Expertiss. atque Dexterrimus D. MEJER, *Chirurgus primarius Noso-comii Tigurini*, & quod mihi monstrare haud abnegavit. Refert illud unicum tubulum, cuius diameter a parte superiori

E 3

o) vid. *Essai sur l'Abus des Règles générales* E&c. p. 200. & sqq.

p) vid. *Journ. de Médecine* E&c. de Juin 1770. p. 531. & sqq.

ima versus paululum crescit. In parte inferiori duo annuli conferruminati sunt, inservientes ligaturæ partibus inferioribus adnectendis. Per illud trajicitur filum argenteum tortum per totam longitudinem, excepta illa portione, quæ ansam efficit & Polypi diametro accommodata esse debet. Ut eo faciliter adPLICARI possit, specillo utitur, cuius una extremitas aliquam incisuram habet, destinatam ad excipiendam ansam & derivandam ad radicem Polypi usque. Reliqua eodem modo absolvuntur, ac de methodo Levretiana propositum fuit. Nonne nuncce ex hoc simplici tubulo & ligatura cannabina aliquod posset exarari instrumentum, quod facile foret applicatu & indicationi responderet? Et si hoc non vis, fateor, quod ultimam Levretianam correctionem omnibus reliquis præferrem, nisi & simul nimium ejus volumen Operatori molestiam pareret, nimiamque quietem ægrotæ præscriberet? Polypi hac ratione nutritione privati à petiolo vinculo constricto solvuntur, vel per se in terram cadunt, vel non è loco cedentes auxilium postulant. Ideo commendantur hunc in finem varia forcipum genera, quorum opè Polypus ex vagina potest educi q). Eundem ad scopum Cl. Kek. r) jubet Polypam cum acu filum trahente trajici, ut ansa efformetur, per quam dein Polypus attrahi & educi potest.

§. XXIV.

Descriptis igitur variis Polypos extirpandi methodis meum adhuc est indicare, quid ante & post operationem faciendum sit. Fœminam ante operationem accurata diæta, quibusdam purgantibus préparasse Cl. Kek. s) legi potest Post ligaturam autem omni quadrihorio injectiones cum aqua & vino te-

q) vid. LEVRET *Ohs. sur la Cure radicale &c.*

r) l. c.

s) *Journ. de Medecine &c.* de Decembre 1768. p. 532.

pido fieri debere monet Cl. LEVRET ^{t)}). Per has injectiones
dein abstergitur lympha ex Polypi superficie exfudans, & im-
peditur simul resorptio. Ne autem forsan resorpta materia
tristia symptomata producat, idem Cl. Vir camphoram exhibe-
ri suadet interne. Et ut simul molestiae præcaveantur, quas
odor foetidus exhalans causari valet, hypocauustum aceto irro-
rari potest. Post plenariam vero resolutionem, perfecta foemi-
narum sanitas uplurimum presso pede sequens ne unicum qui-
dem medicamentum necessarium declarat, uti & nostra obser-
vatione confirmatur.

§. XXV.

Quum nunc vidimus quibus rationibus Polypi extirpantur,
postquam declaravimus, quæ methodus optima sit, nihil am-
plius restat, quam ostendere, an pedunculi pars ligatura con-
stricta remaneat, nec ne; perquirere annon melius Polypus
post ligaturam abscondatur quam corruptioni tradatur? an por-
ro ligatura opus sit, nec ne? Quod nunc attinet ad priorem
questiōnem, quilibet forsan sibi imaginabitur, illam partem
remanere, & Polypo de novo excrescendo inserviri. Sed hanc
sententiam clare refutant observationes, quæ omnino indicant,
illum pedunculum post aliquot à resolutione Polypi dies cum
ipsa ligatura ex utero eliminari, id quod & testatur nostra ob-
servatio. In hoc casu & idem fieri, ac post deligationem fu-
niculi umbilicalis & arteriarum, haud vana suspicio Cel. PU-
ZOS ^{u)} est. Ratio vero non ita in promptu est, uti forsan
videtur. Tamen suspicari licet vasa pedunculi relicti SYNIZI-
SIN ^{w)} pati, quia nullus sanguis per venas ex Polypo versus

^{t)} Mem. de l'Acad. de Chir. Tom. III. p. 595. & sqq.

^{u)} Traité des Accouchemens p. 270.

^{w)} vid. Ill. GAUBII Inst. Path. med. §. 209, No. 4.

uterum derivatur, & ideo nullum per arterias adveni necesse est, id quod lege derivationis a natura stabilita fieri verosimile est. Quia ideo vasis collapsis pars relicta nutritione privata est, destructionem experiri necessario debet, quae dein destrueta ab uteri parte eam circumcingente premitur & quasi separatur.

§. XXVI.


Annon melius Polypus post ligaturam absconditur, quam corruptioni traditur? Id omnino fraudere videntur illæ observationes α), quibus cognitum est Polypus tam extra vaginam vagantes, quam in ea adhuc hærentes absque infuscatis malis symptomatibus decapitatos fuisse, nec non illæ quæ testantur post injectum vinculum vehementes dolores lumborum & inguinum, convulsiones &c. fuisse secutos, statim post resolutionem ligaturæ cedentes β). Sed cum in locum tam angustum valde periculosum est scalpellum adducere, cum sectio non nisi in tenebris fieri potest, ideo melius sectionem mittimus, donec aliquod instrumentum, id quod optandum! excoigitetur, cuius ope sectio sine periculo absolvii potest. Hinc est semper laudanda methodus, qua usus fuit Cl. TULPIUS γ) & expertissimus D. WEIGEN & admiranda in operatione tantis difficultatibus juncta eorum dexteritas. Ultimum denique perquirendum est, an ligatura necessaria sit, nec ne? Ratio cur ligatura injicitur, non solum est, ut Polypus nutritione privetur, sed & ut haemorrhagia præcaveatur, quæ post simplicem

α) vid. Mem. de l' Acad. de Chir. T. III. p. 521. 522. 527. & 528. & VATERI Mus. Anat. propr. p. 135.

β) Mem. de l' Acad. de Chir. T. III. p. 543. & Miscell. med. phys. germ. Dec. I. Ann. 2. Obs. 121. p. 202.

γ) Obs. med. Lib. 3. p. 237.

plicem sectionem oriri debebat ex ostiis vasorum apertis & in cavitatem uteri hiantibus. Sed quando perpendimus uterum post expulsionem cujuscunque substantiae statim per vim infinitam contrahi, per hanc contractionem, multa illa ostia vasorum, quæ cum placenta communicarunt, postque illius resolutionem hiant, obturari ne haemorrhagia contingat, omnino suspicari licet, & idem fieri post sectionem Polypi, quippe cum & parietes uteri circa partem relictam poni possunt & ita impedire, quo minus sanguis effluere possit. Sed cum id sollempmodo eos spectat, qui fundo corporique uteri adfixi sunt, illique ergo excipiendi sunt, qui collo & orificio adhærent, cum porro & ipsa ligatura ad separationem partis pedunculi relictæ suam symbolam conferre videatur, hinc eorum sententiae, quæ ligaturam adhiberi volunt, subscribere non dubito. Hæc sunt nunc ea, quæ circa Polyporum naturam & curationem scribere meæ debiles vires permiserunt; adpone nunc B. L. adponenda, corrige corrigenda, & judica faltem cum OVIDIO: Ut defint vires tamen est laudanda voluntas, sic sane meum expletur votum.



THESES.

I.

*F*uniculus umbilicalis, si juxta caput infantis prolatus est, melius sineque noxa factui imminentे delegatur & abscinditur, quam in Uterum reconditur.

II.

Disruptio Tunicarum fætum obducentium, & insequens aquarum effluxus Partum, si orificii aperti diameter ad magnitudinem unius s. sequipollicis accedit, dolores excitando promovet, hinc nisi Natura id opus molitur, eas disrumpi indicatio jubet.

F

III.

*Disruptionem Tunicarum & Effluxum Aquarium Partum
magis retardare ac promovere, si instituitur antequam orifi-
cium satis apertum est, sum expertus.*

IV.


*Infantes, qui moriuntur, quia Funiculus Umbilicalis
prolapsus & compressus fuit, Vitam ex defectu sanguinis
perdunt, ceteris paribus, minime exabundantia.*

V.

*Forcipem Levretianam nullam Contusionem tam in par-
tibus infantis, quam & matris efficere, a priori demonstrari
valet, & a posteriori confirmatur.*

VI.

*Moles, quam Gravida, se volvens, ex uno latere in
aliud cadere sentit, pro certo signo infantis haberri nequit.*




Explicatio Figurae.

- A. Corpus Polypi.
- B. Pedunculus, quo fundo Uteri affixus erat.
- C. C. Duo Tubercula ultra superficiem anteriorem eminentia.
- D. D. Denotant impressionem circacircum Polypum videndam.
- E. Impressio quedam Uteri orificium mentiens.









VD 18

ULB Halle
008 342 954

3







DISSE¹¹⁹NTATIO INAUGURALIS
MEDICO - OBSTETRICALIS
DE
POLYP O
ELICITER EX UTERO
EXTIRPATO
QUAM
DEO TRIUNO PRÆSIDE
CONSENSU
GRATIOSÆ FACULTATIS MEDICÆ
ALMA ARGENTORATENSIO¹M UNIVERSITATE
PRO
SUMMIS IN ARTE MEDICA HONORIBUS
ET
PRIVILEGIIS DOCTORALIBUS
RITE ASSEQUENDIS
SOLEMNITER ERIT DEFENSURUS
JOHANNES JACOBUS TANNER
St. GALLO - HELVETUS.
DIE XIV. FEBRUARII MDCCCLXXI.
H. L. Q. C.

ARGENTORATI
Typis JOH. HENRICI HEITZII, Universitatis Typographi.

